PROPEMPTICA,

IN DISCESSVM

ORTHODOXÆ PIE-tatis, insignis doctrinæ, humanitatis, morum suauitatis, & aliarum virtutum laude præstantissimi Viri, Dn. ALEXANDRI R. Szamotkozij, post exhaustos Philosophicos & Theologicos labores, ex inclita Vitebergensium Academia in patriam Vngariam redeuntis, Anno 1589. 3. die Septembris:

Scripta ab amicis & Popularibus.

VITEBERGAE
Imprimebat Matthæus VVelack.
M. D. LXXXIX.

28.
13
1589

Epigramma Balthasaris Mencij Saxonis Neomagi.

QVi se Thobiadæ socium sacer addidit Ales,
A cunctis tutum præstitit atq; malis:
Is quoq; Alexandro studijs melioribus aucto,
Sit Comes, & releuet tædia longa viæ,
Vt saluus patrios fines, pinguissima rura,
Aspiciat, generis sit columenq; sui.
Et quibus instruxit, Pallas Tritonia, pectus,
Artibus hisce Scholas, oppida, templa iuuet.
Nunc igitur patrios læto pede tendat ad agros,
Et peragat Pylij secula multa senis.
Magne parens hominum Deus, & Dux maxime Diuûm,
Tuq; velis precibus pondus inesse meis.

Bonus Mori Nescit.

ALIVD.

FIdere Christe tibi, tibi debita soluere vota,
Maxima perpetuæ cura salutis erit.
Fidere nemo tibi, nec debita reddere vota,
Christe potest nisi qui Biblia sacra colit.
Biblia sacra colit, qui linguas discit & artes,
Qui legit attentè scripta probata patrum.
Per mare per terras qui currit ad extera regna
In quibus Aönides cum pietate vigent.
Cultior vt repetat patriam post mille labores,
Atq; diu prosit ciuibus arte suis.
Istud ALEXANDER fecit, dum Teutonis oram
Visitat & Musas hîc Vvitebergæ tuas.

Cuius non operæpretium eſt vt carmine largo
Eloquar ingenÿ nobilioris opes,
Gaudeat Vngaria, hoc cultore, vberrima tellus,
Viuere cui ſemper turba nouena dabit.
Hunc colat ex animo qui Chriſti curat alumnos,
Vngariæ hunc omnis Cræſus & Irus amet.
Det DEVS, vt Pylÿ videat ſenis integer annos,
Grata DEO dicet, grata hominiq; canet,
Vera cano, quia vera ſcio cui eſt notus amicus
Augurio & votis annue, CHRISTE, pÿs.
Macte fide quia tempus adeſt dulciſſime amice
Vade bonis auibus viue valeq; diu.
Viue memor noſtri, dum ſpiritus hos regit artus,
Ecce tuus noſtra mente ſedebit honor.
Is fortunet uter, qui nutu ſydera torquet,
Huic tua committas Cuncta, beatus eris.

M. VVolffgangus Franzius
Plauenſis.

ALIVD.

PLurima ſi luſtres, tacitus monimenta Sophorum,
Aſſidua & voluas, annales mente vetuſtos,
Protinus inuenias, ſubitis deperdita ſeclis
Omnia, quæ valuit ſolers induſtria, magnis
Viribus, ad celſi ſtruxiſſe palatia Cœli,
Marmora: conſpicuis aut regia tecta Coloſſis,
Aut ſi ſollicita ſpeculeris mente, peracta
Secula, temporibus fluidis labentia, cernes
Omnia quæ patulus concludit margine Mundus,
Interitum paucis ſecum oſtentare diebus,
Aſpice quæ Pario clariſſima facta lapillo,

Artificis

Artificis pinxere manus, memoranda periti,
Strata iacent, pereunt inſignia ſtemmata Regum,
Si titulos penſes, aut clara trophæa reuoluas,
Mygdonÿs, parÿs aut nomina ſecta columnis,
Cuncta .acent: fugiens nam perdidit omnia tẽpus.
Inclyta proſtratis Phrygiæ ſunt templa lapillis,
Splendida quæ fuerunt, toto & celeberrima Mundo.
Pyramidas Phariæ, corrupit tarda vetuſtas,
Squalida terra premit, veterum monimenta Potentum.
Tam citò fortunæ diſcrimina cuncta ſequuntur.
Sola manet virtus mentis, diſcriminis expers,
Cætera ſed breuibus vertuntur cuncta diebus,
Concutiunt hoſtes, cæli quoq; nubila vexant,
Et velut æſtiuos depaſcit terra colores,
Floribus & vernis, viridantia lilia Campis,
Sol viduat, radÿs feruentibus illa perurens,
Haud ſecus anguſta fugiunt breuitate, labores
Quæ ſtruxêre hominũ: ſublimia cuncta mouentur
Per ſua fata citò, & mox vix veſtigia monſtrant,
Scilicet hæc, ſubigis ſolerti examine mentis,
Tu quoq; Alexander, quoties doctiſſime, cernis
Hæc, meditata animo, fatis peritura ſupernis,
Quodq; vices ſubitas ponunt, poſita ſuè reſumunt,
Præmia virtutis, nec ſtant his ſplendida, vera,
Idcircò placuit veras conquirere dotes
Ingenÿ, longis, per tot diſcrimina, terris,
Quas non tempus edax nec carpere ſera vetuſtas
Nec poterunt vitæ diſcrimina ſoluere longæ,
Quin potius laudis præconia magna merentur
Virtutes animi quas ſecula nulla tacebunt,
Ergo Lycaonia, præclara Lycæa, ſub Vrſâ
Quæ ſtant Albiacis erecta ad ſydera, ripis

Inuisis, studij queis sunt gymnasmata sancti.
Te hæc fouêre sinu & claris auxêre tropbæis
Castalidum, licuit donec coluisse sorores
Aönias, licuitq; artes didicisse Mineruæ.
Hic dum solstitijs noctemq; diemq; reduxit
Cynthius ipse tribus tepidis, duodenaq; lustrat
Zodiaci numeris totidem, radiantia signa.
Ingenio accumulas Musarum pignora sido.
Contigit ergo tibi, virtus præclara Minerua,
Dum veterum recolis, maturâ mente Sophorum,
Argolica aut Latia quæ dant monimenta Camana.
Iam numeris poteris deducere Carmina certis,
Herois placeat, si pangere Carmina chordis
Aut elegis conferre pedes Nasonis acutis.
Tu poteris logices vi, cæca sophismata Papæ
Rumpere, pro falsis nosti supponere vera.
Tu quoq; primæua hausisti fundamina linguæ,
Prima fuit terris, quæ cunctis ordine labris.
Quæ lateant vires plantis herbisq; minutis
Et quæcunq; docet rerum Natura creatrix
Indita, solertiu nosti indagine mentis.
Quid quod & arcano quæcunq; volumine, dictant
Biblia sacra tenes, & quæ noua fœdera Christi
Includuni sacris sacrataq; verba libellis.
Iamq; vbi tot claris animum satiare sagacem
Pignoribus fatis cenceſſum. Numinis almi,
Ceu Pandora redis, præclarè ad limina, onustus,
Pannoniæ, charos cupiens spectare penates.
Felix qui potuit diuino percitus æstro,
Culmina Cyrrhæi montis sic scandere, Phœbi,
Felix quem decorat Pallas sic docta trophæis
Ingenij & satiat Parnassi fonte bicorni.

Ergo

Ergo paras abitum, nimiumq; es certus eundi,
Nec poterit flecti precibus sententia nostris,
I felix igitur Charitum te ritè phalanges
Ad sedes patrias meritò comitantur euntem,
Ipede feluci & patriæ succurre ruenti,
Pannoniæ, & fructus studiorum impende tuorum
Gymnasiis formes studiosa corda Iuuentæ.
Siuè igitur Campis passus defigere apertis,
Siue per excelsos montes, vallesq; profundas
Contingat, tacitas syluas & inhospita tesqua,
Siue iter horrendum per opaca crepuscula carpas,
Pannoniæ aut iam iam confinia limina lustres,
Incolumem sancto deducat Numine Christus,
Aluuumq; chorus demissu ab æthere cingat,
Vt patriæ possis saluus, contingere chara
Limina, & optatis dulces spectare propinquos
Luminibus, reducem qui te tot cernere votis
Optauêre suis, quot pectora chara Tonanti,
Poplitibus flexis palmisq; ad sydera tensis
Exsoluêre: igitur tu felix, auspice Christo,
Cuncta oculis cernas, quæ sunt gratissima vestris.
Mox, fausto studij moderetur sydere cursus,
Quò valeas semper præconia grata Tonanti
Dicere, dum vitæ series sua tempora claudit.

Iohannes F. Vnguarinus.

ALIVD.

HIc dum magnanimi tu pulpita pulchra PHILIPPI,
Doctores meritæ laudis honore colis.
Mox fatis patriam iterùm reuocaris ad oras,
Vt doceas doctum doctus in arte gregem.

Te

Te duce fundetur CHRISTI in rationibus agmen,
Vt sit in hoc verus cultus & artis honos.
Doctrinam CHRISTI fatis felicibus vrge,
Tradere discipulis quam iubet ipse suis.
Ergo Deus faciat iucundos esse labores,
Nam sic continuis cultibus ibit honos.
A CHRISTOq; petas si vis orator haberi,
Quod fit dum sacras res sine fraude feres.
Tu quia virtutem iunxisti artemq; vicissim,
Vngaricos proceres iamq; videre cupis.
Nil tibi cunctandum, CHRISTus te ducet alumnum,
Ales ab æthereo Numine missus adest.

Michael Cibradi.

ALIVD.

Doctrina excultos honor arguit omnibus æui
Temporibus, mores claraq; facta notant.
Artibus ergo bonis mores, monimentaq; vitæ
Adde, piæ qui vis laudis honore coli.
Fructus vt arboribus decori est, & vt artibus vsus
Sic studijs decori est, vita probata bonis.
Felices igitur, qui tali munere, pollent,
Et mores factis ingeniumq; probant:
Tu quoq; felix es iuuenum cultissime, dignam
Qui famam rediens tollis ad astra tuam.
Nam donec studijs inhias, monimentaq; voluis
Musarum, mores, ingeniumq; probus.
Adq; nouem Musis Sophiæ monimenta sequentes,
Vt referas Patriæ munera larga, venis.
Sed quia ter genialis hyems, & aquosus Orion,
Terq; redit nobis frugibus alma Ceres,

Dum

Dum studijs operas adhibes, mentemq; sagacem,
Ne spe concepta, Patria cassa, foret:
Iam cùm Musarum docta tellure potiri
Vlteriusq; nequis continuare dies,
Ad Patriam sedem properas & limen auitum,
Siue ferens Sophiæ munera, siue sacra.
Perge igitur pia dona tuis Patriæq; referre,
Hac itur doctâ semper ad astra via.
Et sic Romani deludes Præsulis artes
Dum furit & cæco demetit ense pios.
Gallia iam vires huiusq; Britannia sentit,
Anglia dum victrix læta trophæa gerit.
Borbonium nuper deflet sua turba peremptum,
Vnica gens contra, bella, Nauarra gerit.
Huius ab insidijs ergo Pater optime serua,
Pro grege qui sumunt armaq; ritè gerunt.
Nunc igitur Iuuenis præclarâ Pallade tincte,
I Pede felici dum licet, atq; redi.
Et proceres qui nos, populumq; per oppida Christi
Tutantur verâ in relligione, vide.
Interea pro te munus faciemus amici,
Vt Patriæ possis tecta, videre, vale.

Demetrius Liscensis.

ALIVD.

SI mea Pegaseo maduissent labra liquore
Esset & Aönio fonte, leuata sitis.
Nunc ego, Pierium, tentarem ludere, carmen,
Dulciaq; in suaues cogere verba modos.

Tempus adest etenim patris quo redditur oris
Suauis Alexandri nomen & omen habens.
Huius ego, ornarem discessum, carmine longo
Signaq; amicitiæ sic manifesta darem.
Et licet haud valeo longum modò scribere carmen
Quo possem reditum nunc celebrare tuum.
Attamen vt spero mea non ingrata voluntas,
Officiumq; foret dulcis amice tibi,
Munera ter Cereris fuerant demessa per agros,
Lectaq; ter fuerant munera Bacche tua:
Dum procul à patriâ peregrinas missus in oras,
Albidos ad ripas vsq; remotus agis.
Sedulus hîc Vatum voluens monimenta sacrorum
Excolis ingenium nocte dieq; tuum.
Haud secus ingenuas addiscis strenuus artes,
Atq; prophanorum scripta diserta virûm.
Saxonicis tandem longè digressus ab oris,
Vt patriæ referas commoda multa tuæ.
Sed quia iam satis est peregrinas visere terras,
Et satis Albiacas excoluisse Deas:
Inde paras abitum celebri de Pallados vrbe
Aonÿ Iuuenis maxima fama, chori.
Ipede felici superes & longa viarum,
Tædia, cælesti te comitante choro.
Vade meos inter Iuuenis dilecte sodales,
Vtilis adq; vias sit precor, aura tuas.
Vitaq; sit semper fortunæ illæsa procellis,
Quæ genus humanum nunc sine fine petunt.
Sit procul à vobis peruersi Dæmonis æstus,
Qui struit insidias tempus in omne piis.
Egregios semper capias tu Laudis honores
Atq; tenor vitæ sit sine labe tuæ.

Incolumem

Incolumem Dominus te seruet tempore cuncto,
Nestoris atq; sinat te superare dies.
Ergo vale iam iam sis organon vtile multis,
Et memori nostrum pectore nomen habe.

2 Iohannes S. Debrecinus.

ALIVD.

NE te pæniteat, patrios liquisse penates:
Et terras alio fermè sub sole iacentes,
Dulcis Alexander, quæsisse: & acerba tulisse
Plurima: vt instructus diuini doginate verbi.
Et Sophiæ monitis sub limina nota redires.
Has etenim leges aternaq; fœdera summi
Imposuit Rector cœli mortalibus olim:
Vt quodcunq; ipsi votis ardentibus optant:
Id sine permulto nunquam sudore paretur.
Sed cur pœniteat quæsisse labore Camœnas?
Cùm nihil egregium toto contingat in orbe
Ignauis: nulla cùm laude ornentur inertes.
Namq; oculis age cuncta tuis circumspice: nusquã
Desidiam cernes spolijs vel honore decoram.
Dum mercator enim merces permutat in orbe
Et fragiles componit opes: parcitq; repertis:
Quas non ille vias (lucri succensus amore)
Ingreditur? quos non audet perferre labores?
Frigora non illum possunt retinere, nec imbres,
Nec grauis incumbens scopulis arentibus æstas.
Non metuit pelagus: ventorum flamina spernit
Aspera: non siluas trepidat, saltusue profundos.
At verò agricolas quantus labor vrget? aratro
Exercent vbi tellurem: fœcundaq; sulcis

Semina

100

Semina committunt: quanta illos cura fatigat?
Dum vel flaua Ceres medio succiditur æstu:
Vel dum frondosas adiungunt vitibus vlmos.
Plurima quid referam? sunt omnia plena laborís:
Plenaq; curarum sunt omnia, plena doloris.
Idcirco valeant, nullos tolerare labores
Qui cupiunt: postquam Musarum castra secuti,
Diuinas læti cæperunt ire per artes.
Si reliquos iuuat immensos superare labores:
Vt modo aiuitias cumulent: quas tollere furtim
Latrones possunt: quas sæpe incendia perdunt:
Quasq; valet quæuis fortuna auferre: quid obstat?
Quo minus egregijs etiam gens dedita Musis
Instet non segnis studijs, bonisq; parandis:
Perdere quæ non flamma furens, euersaq; ventis
Aequora: non fures de nocte auertere possent:
Succumbuntq; alijs quæ non, velut illa, periclis.
Hos igitur scopulos, hos, dulcis amice, labores
Cùm tandem infracto superâris pectore: cumq;
Dulcia iam patriæ gressus ad mœnia tendis:
Restat vt ex animo tibi prospera cuncta precemur
Hinc discedenti: votisq; sequamur euntem.
Vade igitur comitante Deo: comitante beato
Aligerum numero: nostri qui fortiter hostis
Infensi auertant fraudes: reprimantq; furorem.
Hi caueant hominum, ne te vis neue ferarum
Duraq; corrupti cæli inclementia lædant.
Illi te incolumem patriæ sub culmine sistant.

Beneneuolentiæ ergo faciebat
Fridericus Ferberus Gorl. Lusatius.

ALL

ALIVD.

ORnarunt laudum sublimi carmine, Vates,
Sancta sacræ quondam fœdera amicitiæ.
Doctarum hinc Theseus monimentis, ille Sororum
Secula tot, fidus Pirithousq; viget.
Nec non Hectoreo metuendus pectori Achilles:
Viuit Patrocli clarus amore sui.
Sic celebris Pyladis fama quoq; factus Orestes:
Et Pyladi laus est rursus Orestis amor.
Ast illi immenso tenebrarum errore grauati,
Non norant sanctæ fœdera amicitiæ.
Verus amor, verâ pectus pietate repletum
Quærit: namq; sui est quod simile illud amat.
Ergo, vbi pectora erunt Christo coniuncta fideli
Fœdere, amicitiæ firma ibi vincla manent.
Isaides iustis vates sic laudibus effert
Concordi iunctos mente animoq; viros:
Balsameo, fusum optatè quod fragrat, oliuo
Dum præfert firmâ pectora iuncta, fide.
Hermonis & liquido spargit qui Siona, rori:
Humectatq; putrem: fertilis vt sit agrum.
Nos quoq; Alexander, vinclis coninnxit amoris
Quam Christo puram seruat vterq; fides.
Hæc animos hominum pacis per fœdera sanctæ
Disiunctos terris conciliare solet.

101

Vnus amor cunctis est nam, Queis vnica Christus
In cœlis spes est corpore verus homo.
Quamuis ergo tuum nostro auellatur, Amice,
Ad patrios corpus iam redeatq; Lares:
Ast animi amplexu iuncti semel ante fideli:
Dulcia perpetui pignora amoris habent.
Spiritus est vacuas prius hic tenuandus in auras:
Quàm tuus è nostro pectore cedat amor.
Dum licet ergo tuos oculis nunc cernere nostris:
Vox dicenda, pio pectore missa, Vale.
Vade age, & incolumis patrios attinge Penates:
Huc misère suo qui tua membra sinu.
Sisq; sacri Pastor Chisti gregis inclitus: amplum
Sis decus, & patriæ gloria clara tuæ.
Quot genitor vidit Lamechi priscus aristas:
Tot tibi, felices sint abeantq; dies.
Ille suo magnum imperio qui concutit orbem,
Te regat afflatu Christus vbiq; suo.
Vota fides fundit: Votis Deus annue fidis:
Vota fides sequitur. Dulcis amice: Vale.

Adamus Felinus Boleslauus Bohemus.

ELEGIA

Elegia Valedictoria
SCRIPTA AB ALEXANDRO R. SZA.
moskozio.

NOn ego nunc Vates ab origine dicere prima,
Non grandi illustres ordiar ore viros,
Qui loca diuersis lustrârunt lata sub oris
Vt fierent patrij lausq; decus laris.
Nam quid ego doctum numerosâ voce Platonem,
Et quid Apollonium versibus ipse canam?
Ille paludosi septemflua flumina Nili
Vidit hic Assyrij regna beata soli:
Sic Ithacus, longo vt fieret prudentior vsu,
Tædia non longæ spreuit adire viæ:
Vnde quis ignotas nescit quot adiuerit vrbes,
Remige Sigeas velificârit aquas:
Viderit incultos Lestrygonas Antiphatenq;
Artaciæ quorum flumen inundat humum.
Iasona Peliaco confectaq; vertice pinus,
Per maris ad sæuam Colchida vexit aquas,
Vellus vt Ææis auratam auerteret oris,
Quà Phasis leni murmure verrit humum.
Cur exempla peto veterum? sic gloria nostræ
Gentis, longinquos Ianus adiuit agros.
Legit & Hadriaci Venetâ maris arbore fluctus,
Perlustrans populos, Itala regna, tuos,

Euganeus

Euganeus molli quà profluit amne Timauus
Quà piger herbosa Mincius errat aqua.
Quauè fremens Athesis pingues rigat æquore campos,
Toruus arenosas quà Padus auget aquas:
Patria quem culti fouit Verona Catulli,
Dum numeros haurit, Clare Guarine, tuos:
Nobilis hunc audiit Ferraria dulce canentem
Dum pacat ciues, Italis ora, tuos:
Hic viridi, vndantis deduxit flumen ad Istri
Primus, Mnemosidas ex Helicone Deas:
Quo Duce barbaries patrijs mox fugit ab oris,
Molleq; dictauit Carmen Apollo libens.
Ast mea cùm Ascræos non nôrint Carmina fontes,
Nec tersus nostro spiritus ore tonet,
Singula non humili referam hæc memoranda Camœna,
Cùm mea difficili carmina voce sonent.
Ipse peregrinas hûc sum quoq; missus ad oras,
Vt videam gentem, Teutona terra, tuam,
Mercurio hic opibus largis meliore coëmtis,
Vt mea Pierio & flumine labra rigem:
Dulceq; Doctores hîc cernam dogma sonantes,
Qui calcant Cathedram, Diue Luthere, tuam:
Qui versant manibus magniq; Melanthonis artes,
Cuius dulce pio fluxit ab ore melos.
O nimis optato seclôrum tempore nati,
Qui vestro hauserunt Carmen ab ore sacrum:
Saluete Heroes, charissima pectora Christo,
Inq; beatorum sede valete pia.

Lutheri

Lutheri Manes, clariq; Melanthonis vmbra,
Vos precor in vestrum me sinite ire nemus,
Vestra ego castra lequor, vestigia vestraq; calcoi,
Poculaq; è vestris fontibus hausta bibo.
Dicite quo sacrum Carmen cecinistis in antro,
Quouè pede ingressi, quamuè bibistis aquam:
Iam nouus in patrios hospes quia deuehor agros,
Claraq; nec posthac, Teutona regna, colo,
Nam tempus patrys lustrare Helicona sub antris,
Et iam natales visere tempus agros:
Sed tamen antè meo vos Carmine compellabo,
Fragranti spargam vestraq; busta rosa,
Oscula lugubri defigam suauia tumbæ,
Et vestris Genys carmina pauca dabo:
Viribus vt fractis, nam vestri muneris omne est,
Sic prostrata suis, Ausonus Hydra iacet:
Lux Euangelij vt toti clarissima mundo
Affulsit, vestri muneris omne quoq; est.
Verùm Elegos paruis dum iungere versibus apto,
Quadrupedes vector sedulus vrget equos.
Ergò me patriæ iam mi Deus optime reddis:
Me dabis illustres iamq; videre viros?
Hactenus at nostræ qui rexti lintea puppis
Nuncq; meum reditum, te Pater oro, bea.
Non Hœdus pluuias fundat, nec aquosus Orion,
Aspiret velis lenior aura meis,
Dum mea Pannonicâ considat puppis in ora,
Samusius patriæ quà secat arua meæ.

In me non Lapithæ, non Centauriq; feroces
Arma ferant, in me nullaq; turba ruat.
Saxona sit nobis, sit peruia Misnica tellus,
Nec struat insidias Vandalus ipse mihi.
Odera sit nobis, sit tutus Vistula nobis,
Carpathia & viridi nos teuet vmbra iugo.
Et quia bis plenæ deducitur orbita Lunæ,
Siccine cum cursum temporis æger ago:
Nec valet heu Medicus sanare salubribus herbis,
Iamq; Machaoniæ nil valet artis opus:
Aure meum attenta te nunc precor accipe votum
Mi Deus heu morbi pone paterq; modum.
Si Pæantiadæ curauit membra Machaon,
Phœnicis Chiron lumina Philliyrides:
Phœbus & occisum Cressis Epidaurius herbis
Exhibuit propriis Androgeona locis,
Nysus Pyrrhæa sæuum, qua cuspide vulnus
Senserat, hæc eadem est mox medicata sibi,
At tu chare Parens Virides qui viribus herbas
Instruis, & valida qui medicaris ope,
Me validis Patriam visurum viribus auge,
Daq; meam reuehat mollior aura ratem:
Mox vbi in Hungaricos sospes peruenero campos,
Ore tibi grato Carmina sacra canam:
Tot tibi fragrantes adolebo thuris odores,
Florida quot tepido gramina vere virent.
Audijt ista Deus, faciles mihi præbuit aures,
Et precibus voluit pondus inesse meis.

Ergo nec inuitus celebri discedo Lyceo,
Et cupio patrios cernere sponte focos.
Facundi celebèr quà præco Goncius oris
Mellito Christi dogmate pascit oues:
Ac vbi Pesthini populus propendet ab ore,
Hos nobis serua, Christe benigne, viros:
Quorum ope Romani sunt subruta regna. Leonis,
Huius lethalis concidit atq; lues.
Quouè Dereschæus facundo detonat ore,
Et cum Szathmario Biblia Dia, terit:
Hìc ego Patronos, Mecœnatesq;, videbo,
Chrysius exiguo quà fluit amne celer.
Hei mihi quòd vobis non munera digna rependi,
Hei mihi quòd nostro est paruus in ore sonus.
Sed tamen angusto, quicquid de pectore riui
Fluxerit, hoc vobis seruiet omne lubens.
Nam quòd Castalium nouit deducere Carmen
Orpheam admirans, nostra Thalea, Lyram.
Leucoream propter studia hîc celebrauimus vrbem,
Muneris id vestri, muneris hocce quoq; est.
Hic quoq; Bathoreum claro de stemmate natum,
Insignem bellis moxq; videbo Ducem:
Te quoq; Dux celeber, fatis Sigemunde benignis
Chare, libens oculis aspiciam ipse meis.
Te Dux militiæ nullus tenet aptius artes,
Disijcere & Scythici fortius arma Getæ.
Et non per dubias currunt mea Carmina laudes,
Nam non ficta cano, verùm ego vera cano.

Testis Panno mihi, testis Saioq; vadosus,
Et tu præcipiti qui ruis Ister aqua:
Non permixta fuit sic cædibus vnda Scamandri,
Respicis Euboicos hîc vbi Troia sinus:
Hoc Duce decurrit ceu rubro Saio cruore
Ister & aspersus sanguine crebrò fluis.
Qui nunc siue hastam, gladium seu stringit in hostes,
Victa vel ante suos agmina ducit equos:
Cuius auent multa Vates celebrare Camœnâ,
Vult Rhetor tanti dicere bella Ducis:
Fortè erit illa dies qua te celebrate Racoci
Cùm mea Pegaseo carmine Musa canet.
Qua nostramq; tuis inscribam nomen in actis,
Permessi quanquam non ego pocla bibi:
Te Duce nam populo est Pax: fortunata manebit,
Affluet vberibus, Pannona terra, bonis.
Quæ nunc strata iacet bello, cuiusq; rigore
Pergama ceu Priami diruta, squalet ager:
Nec tot Persiacis cinguntur Susa sagittis,
Quot sentit Turcæ spicula sæua Getæ,
Quam tamen aspiciam vt pacatam lumine nostro,
Annue, iam facili mi Deus aure mihi.
O niueam illam, Hunnos potero qua cernere, lucem,
O mihi felicem terq; quaterq; diem.
Non sic gauisus Phrygio Menelae triumpho es,
Cùm largæ Priami diriperentur opes,
Est erepta Phrygi Paridi cum Tyndaris vxor,
Pergameum quando flama perussit opus,

Non

Non sic Sisyphides superata ambage viarum,
Dulichios tandem lætus adiuit agros,
Sic Agamemnoniden saluum cùm vidit Athlantis,
Cuius picta viri luxerat ossa Soror,
Non sic elapsum conspexit Thesea Minos,
Inuentum sequitur quando Ariadna tuum:
Quanta ego lætanti depromam gaudia corde
Incolumis patrios videro quando focos:
Samusij ad resonas recubans in margine ripas,
Abditus aut viridi Carmina valle canam:
Seu casa, siue meas ibi rustica villa Camœnas,
Excipiet gratans omnibus hospes ero:
Hîc ego tractabo, fatisq; volentibus, artes,
Hîc ego Cumææ secula vatis agam:
Hîc ego Parnasso deducam Carmina monte,
Hîc ego Pierio flumina fonte bibam:
Ennius hirsuto cingat sua tempora serto,
Sat mihi quòd si hederæ me teget vmbra nouæ,
Non hîc optabo quid Lydius egerit amnis
Sim modò diuinâ fultus, & auctus ope:
Verùm me hortatur breuitas quia temporis, auræ
Iam leuis inq; meâ spirat in aure sonus,
Ergò mei ingenij, studiorum altrixq; meorum,
Leucoris alma Parens, vrbs Viteberga Vale:
Crede cui aduenient mihi nunquam non memor hora,
Præsentiq; tuum nomen in ore geram:
Siue suo curru deportat Cynthia noctem,
Seu vaga in Oceanum sidera lapsa cadunt:

Siue

Siue mihi optatum deducunt temporis æuum,
Siue dabunt triſtes, mollia fata, vices.
Tu quoq; frondoſi nemoris, muſciq; virentis,
Vber aquis rapidis iam Pater Albi Vale:
Ad ripam ipſe tuam viridi proiectus in vmbra,
Sæpe leui cecini Carmina multa chely,
Sæpe ſua herbifera texit quoq; me arbutus vmbra:
Eſt tua nec ſtudij neſcia ripa mei.
Tu quoq; cincta nouem Muſis, & Apolline magno
Atq; iugo herboſo vallis amœna Vale:
Grata Viatori præbes tu vmbracula feſſo,
Floribus, Hyblæis affluis atq; roſis.
Vos quoq; Laurigeri dulces Heliconis alumni,
Saxona iam pubes, Hungara turba Vale:
Quos mihi dulcis amor, multus quoq; iunxerat vſus,
Iure ſodalitij quos ego ritè colam:
Credite non vnquam capient me obliuia veſtri,
Dum mea vitalis Spiritus oſſa fouet:
Viuite felices, memores quoq; viuite noſtri,
Siue erimus, ſeu nos fata fuiſſe velint:
Crebraq; pro dulci reditu date vota Tonanti,
Sic vobis ſemper mitia fata fluant:
Nunc agite ô Comites, noſtri ſocijq; laboris,
Auſpice iam Chriſto vos date vela Notis:
Tædia prolixi iam dura vorabimus huius
Æquoris, en nobis aura ſecundat iter.
Tu tamen, in primis Phœbæa ornate Camœna,
Maxima pars noſtri Iane ſodalitij:

Lenimen

Lenimen nobis ſis, ô & dulce leuamen,
Et noſtræ fias Duxq; Comesq; viæ:
Non ego tecum Araris vereor freta noſcere, tecum
Non Rhodani rapidum flumen adire nego,
Audeo Riphæos tecum contingere colles,
Cernere, quæ rigidus, rura, Thuringus arat:
Cùm tot longinquis tu ſis iactatus in oris,
Teutonico longum videris orbe ſolum:
Conſilijs igitur iam nos rege, miſſus ab aſtro
Alituum cœtus carbaſa noſtra feret.

FINIS.